



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

De Divina Psalmodia, Ejusque Causis, Mysteriis, Et Disciplinis, deque variis Ritibus omnium Ecclesiarum in psallendis Divinis Officiis, Tractatus, Historicvs, Symbolicvs, Asceticvs. Sive Psallentis Ecclesiae Harmonia - Opus novum, & curiosum, ac multiplici eruditione illustratum ... Operum ...

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1678**

§. 6. De Ritu Praemonstratensium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9929**

## §. VI.

*De ritu Præmonstratensium.*

I. **N**ULLA post Monachos Religiosarum Congregationum, quæ proprios ritus habeat, antiquior est Præmonstratensi. Sumpsit enim originem hic sacer & Canonicus ordo à sanctissimo Patre Norberto anno salutis 1115. habuitque aliquando plusquam mille Abbatias. Eorum ritus cum Romanis conveniunt, si pauca quædam excipias. Et primò quidem ante Vigiliis nocturnas tres Psalmos recitant cum quibusdam precibus, & orationibus. Deinde in ipsis Vigiliis ante Lectiones dicunt Versum, & Orationem Dominicam, sed non absolutiones. Post nonum Responsorium concinunt *Te Deum laudamus*: & ante Laudes unum Versum semper præmittunt, quem vocant Sacerdotalem. In primis Vesperis solemnitatum magnum Responsorium concinunt post Capitulum. Ad omnes horas diei Hymnos variant pro ratione temporum, & festivitatum, Antiphonam B. Virginis, qua terminantur Horæ, non nisi post Completorium cantant. Psalterium more Romano in dies & horas distribuunt, nisi quod Psalmum 117. *Confitemini* à Septuagesima usque ad Pascha diebus Dominicis, non ad Primam, sed ad Laudes dicunt loco Psalmi *Dominus regnavit*, quem eo tempore canunt ad Primam. De reliquo tam diurnum, quam nocturnum Officium ea methodo ordinant, qua Romana consuevit Ecclesia: imò suum Breviarium esse existimant antiquum romanum, quod purum ab ipsis conservatum sit, non acceptatis mutationibus, & novis ejusdem reformationibus.

## §. VII.